

Hermann Lembke

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Lembke ... Ad
Funus Quod Iuveni ... Bartholdo Müllern/ Holsato, Phil. & SS. Theol.
studiosissimo Populares Holsati In parentum moestissimorum absentia ac
distantia ... paratas cupiunt; Omnes Et Singulos Academiae Cives Officiose
invitat : [P.P. sub Sigillo Rectoratus nostri, Rostochii, die 9. Martii Anno 1655]**

Rostochii: Kilius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770660541>

Druck Freier  Zugang



Lemke, H.,
in
B. Müller.
Rostock, 1655.

18.

PROGRAMMA
quoy
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
HERMANNUS Lembke/
J. U. D. & Cod. Professor.

AD FUNUS
Quod
Juveni prestantissimo ac Eximio
BARTHOLDO
Güssern/Holsato, Phil. & SS.
Theol. studiosissimo

POPULARES HOLSATI
In parentum moestissimorum absentia ac
distantia
Hodie circa horam primam pomeridianam,
paratas cupiunt;

OMNES ET SINGULOS ACADEMIAE CIVES
OFFICIOSE INVITAT.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO 1675.



Emo sanè, quicunq;
vel micam sanæ rationis
possidet, dicere audebit,
hominem pietate, cæte-
risq; Virtutibus conspi-
cuum *mori*. Quippè *mo-
ri dicere turpè bonos*, qui
magis, feliciter de vitâ mi-
grant, quàm moriuntur; qui per hunc faustum
ex hac vitâ secessum, molestiarum finem, & bo-
norum initium, terminum certaminum, & co-
ronarum triumphorumq; principium asse-
quuntur; qui deniq;, quam primùm disjungun-
tur à corpore, immortalitatem in sempiternam
vitam sortiuntur. Et me herculè! nefas est ju-
storum & piorum mortalium obitum, vel sa-
tius abitum, ex hoc terreno consortio, *mortem*
nuncupare. Etenim (ut cum Palingenio lo-
quamur)

— — — vel dulci pace fruuntur,

Aeterno addicti somno, vel premia habebunt

Debita virtuti, & felices efficientur.

Nefas profectò est, viam ad cœlestem patriam,
vitam longè feliciorē, æternitatis natalem,
immortalitatis exordium, mortem appellare.
Transeunt namq; sancti ac probi homines (ut
nos Platoni sapientissimo in Axiocho conformem-
mus)

mus) non in mortem, sed in immortalitatem,
non in amissionem bonorum, sed in sincerio-
rem eorum perceptionem; illucq; ex hoc solu-
ti carcere proficiscuntur, ubi quietissima lætis-
simaq; omnia adsunt, nullâq; fatiscencia senectâ.
Quod si interim moriuntur: ad immortalitatem,
(ut D. Cyprianus Serm. 4. de mortalit, eleganter
scribit) morte transgrediuntur: nec potest vi-
ta æterna succedere, nisi hinc contigerit exire:
neq; est exitus, sed transitus; & temporali itinere
decursô, ad æterna transgressus. Quæ quia
verissima sunt, quis & nostrum piè denatum
BARTHOLDUM MULLERUM, Juve-
nem certè genuinâ bonitate præditum, nullâ
petulantia, nullâ libidine, ad dedecus tractum,
sed ad pietatis, probitatis, honestatis, aliarumq;
virtutum, Studiosam Juventutem condecoran-
tium studia inflammatum, *mori* dixerit? Qui
(quantum è popularibus ejus accepimus) pa-
triam habuit HOLSATIAM, Cimbrorum
olim bellicosissimorum Sedem; nunc Regionem
amœnissimam & cultissimam, Heroibus, *Viris*,
Sagô togâq;, Marte & Pallade clarissimis, ce-
leberrimam. Natus verò fuit Anno M. DC.
XXXI. in Civitate Altenschlohensi, Patre
DETHLEVIO MULLERO, Senatore Al-
tenschlohensi meritissimo. Viro Optimo, vi-
tæq;

tæq; integritate conspicuo. Matre verò, Ecemina laudatissimâ, moribusq; integerrimis (ut fama fert) insignitâ ; cujus nomen popularibus incognitum, exprimi à Nobis hac vice non potuit. Postquam per lavacrum Sacræ regenerationis, cætui Christianorum coopatus, & piissimâ parentum curâ, ad omnem Virtutem; præcipuè verò ad DEI cultum, ad honestarum liberaliumq; artium Studia educatus ac institutus, intra patrios lares fuisset ; prius tum Hamburgi, tum Lubecæ, Studia literarum excoluit. Postmodum, ad hancce nostram Academiam Rostochensem, ad hoc Sapientiæ, Scientiarum, Virtutumq; Sacrarium, Anno præterito 1654. Mense Martio, semet contulit. Hic autem per totum hoc tempus, pejus cane & anguè petulantissimorum illorum consortium fugit, quos nec honesti decus, nec officii ratio, à vitæ improbitate deterere possunt, & qui spurcissimis, tum ferociæ, tum temulentia moribus, hujus præclaræ Sedis decorem & famam, enormiter contaminant. Verum, illorum se semper conjunxit societati, qui virtutum amore, literarumq; dignitate & pulchritudine, ita incensi sunt, ut sinè earum exercitiis, & tractatione, nè vitam quidem ipsam jucundam arbitrentur. Scientiis Philosophicis, Oratoriæ facultati, S. S. Theologiæ, diligentem
semper

semper navavit operam; & post DEI MAXIMI cultum, bonis artibus & disciplinis animum conformavit. Optimè sciens, nihil hominibus majus ac clarius esse datum literis; nihil ipsis præclarior, quod magis excelsas & sublimes mentes deceat, quod magis à vitiorum sordibus & effrenatis cupiditatibus, hominum mentes, ad virtutem, ad honestatem, ad dignitatem sublevare possit. Fuit profectò non solum dilectissimorum popularium, sed etiam Virorum Clarissimorum, & in hac nostrâ Academiâ Professorum celeberrimorum testimoniò; Juvenis pietate in Deum, innocentia vitæ, gravitate morum, charitate in omnes sibi æquales, populares, cæterosq; homines eximius. Animum habuit, nullâ in alios malevolentia suffusum, sed laudabili modestiâ, præclarâ virtutum reliquarum parente & sapientiæ prole suffultum. In morbo, quo Divino placito, antè septimanas aliquot correptus fuerat, magna laude, Christianoq; pectore dignam, exhibuit patientiam; nec aliud ipsum, quam virtutum scholam, vitiorum quoddam macellum, animi salutem, æternitatisq; monitorem reputavit. In infirmitate suâ, maximam in Deum fiduciam collocavit, & non miserorum illud mussitavit: *Debeo, cogor.* Sed illud potius, erectâ in Dei providentiam & volun-

voluntatem mente, aut cogitavit aut protulit:
• Spiritum meum, Deo meo, libens, volens impen-
dam: ita me committo æternitati; ita lætus ex
hac miseriarum valle abeo. Jam pridem mori
cœpi, jam morior, jam delibor, & consumor,
jam iter ad æternitatem insisto. Quia autem mi-
sericordia Dei finem nescit, & mensuram om-
nem excedit. Sic pergo intrepidus. Commen-
dabatur quidem piè hic denatus, curæ Medicor-
um Experientissimorum, Excellentissimorum,
Clarissimorum, in initio Dn. Doct. RIGII;
postmodum Dn. D. BACMEISTERI, Prof.
in hac Universit. celeberrimi, Collegæ & Amici
honorandi. Quorum uterq;, suo officio, diligen-
tissimè & prudentissimè defunctus fuit: sed neu-
ter pertinacissimum ac lethalem morbum ipsius
eradicare, eundemq; à morte diutius præserva-
re valuit. Nec mirum. Quippe (ut Menander,
lib. 1, var. lect. c. 12. inquit)

Servare morbo si quis alterum queat

Servator ipse quomodò possit mori;

Quocirca, Optimus hicce Juvenis, & reverà vi-
tâ longissimâ dignissimus, simul ac animadver-
tit, sanitatis recuperandæ spem prorsus nullam
esse, protinus animam suam piissimam, ad Su-
premum suum Creatorem, ad Divinam illam
& Benignissimam Majestatem direxit, ipsiq; se
& suos

& suos, intimis votis commendavit; animitus vo-
vens, ut tandem legem suæ mortalitatis expleat,
CHRISTO Q; JESU, ac beatissimarum men-
tium consortio in æternum conjungatur. Quan-
quam autem ardentissimâ febre caloreq; interi-
ori, vel satius æstu vehementissimo, tribus fermè
septimanis conflictaretur, summâ interim quie-
te, animoq; generoso, fatalem metam expecta-
vit; parentes suos amantissimos, amicos dilectis-
simos, æternum salvere, æternumq; valere jussit;
tandemq; inter preces sanctissimas, inter suspi-
ria devotissima, in firmissimâ spe & fiduciâ me-
ritorum Salvatoris & Redemptoris nostri, d. 20.
Februarii, animam expiravit, tamq; religioso,
tam pio ex hisce rebus caducis transitu, non se
planè mortuum esse declaravit. Qui (licet in vi-
gore dierum suorum, calamitates infelicium ho-
rum temporum deleruerit) jam ab illâ verissimâ
immortalitate exceptus; jam solutâ corporis
contagione, cælo & sempiternæ vitæ, ac gloriæ
est restitutus. Cujus corpus, cum omnium
nostrum matri Terræ concredi, rituq; christia-
nis usitato, in Templo Nicolaitano, circâ horam
primam, sepeliri debeat. Vos jam Omnium Ordini
Cives Academiae, officiosè ac amanter invi-
to & oro, ut illud ipsum, honorificâ vestrà præ-
sentiâ, frequentiq; confluxu condecorare velitis,
Sup-

Supplete, eò ipsò, vices parentum mœstissimorù,
aliorumq; Amicorum illius; quorum illi, ob loci
cùstantiam filio suo dilectissimo; hi verò, Amico
charissimo, supremum hoc officium præstare ne-
queunt. Non denegate honestissimo huic Juveni,
hic peregrino, extraq; patriam mundo valedicen-
ti, ultimum hocce obsequium, quod à Vobis, ipse
CHRISTUS expetit; quod à Vobis christiana cha-
ritas exoptulat. Ipsi verò, in hisce, probissi-
mi hujus, ac integerrimi Juvenis Exequiis, DE-
UM OMNIPOTENTEM, instantissimè
orate, ut felicissima sit, veltra quoq; transmigra-
tio. Sicq; in hisce terris vivite, sic loquamini, ut
vos paratos atq; impigros, extremum Fatum
inveniat. Ad extremum, volvite christiano
pectore illud SENECAE, non alienum à chri-
stianâ sententiâ scribentis. Hunc esse nempe,
magnum animum, qui se DEO tradidit: at con-
trà, illum pusillum & degenerem, qui oblueta-
tur, & de ordine mundi malè existimat, ac
emendare mavult DEUM, quam seipsum.

P. P. sub Sigillo Rectoratus nostri,

ROSTOCHII, die 9. Martii

Anno 1655.


**Conventus fiet horâ primâ, in Sacrà
Æde Marianâ:**

••[+]••



semper navavit operam; & post D
 cultum, bonis artibus & discipli
 conformavit. Optimè sciens, nihi
 majus ac clarius esse datum literis
 præclarior, quod magis excelsas
 mentes deceat, quod magis à vi
 bus & effrenatis cupiditatibus, hor
 tes, ad virtutem, ad honestatem, a
 sublevare possit. Fuit profectò n
 lectissimorum popularium, sed et
 Clarissimorum, & in hac nostrâ Ac
 fessorum celeberrimorum testimo
 pietate in Deum, innocentia vitæ,
 rum, charitate in omnes sibi æqu
 res, cæterosq; homines eximius,
 buit, nullâ in alios malevolentia
 laudabili modestia, præclarâ virt
 rum parente & sapientia prole su
 morbo, quo Divino placito, an
 aliquot correptus fuerat, magna
 stianoq; pectore dignam, exhibu
 nec aliud ipsam, quam virtutum
 rum quoddam macellum, animi
 nitatisq; monitorem reputavit.
 suâ, maximam in Deum fiduciam
 non miserorum illud misitavit
 Sed illud potius, erectâ in Dei p

A 3



the scale towards document

MI
 m
 bus
 ofis
 nes
 di-
 en-
 em
 di-
 um
 Pro-
 nis
 no-
 ula-
 ha-
 sed
 qua-
 In-
 anas
 hri-
 am;
 itio-
 ater
 itate
 t, &
 ogor,
 m &
 lun-